

cile fuerit, sufficit ut auctoritas eis variis subsidiis subveniat. — *Indifferenter* autem *omnibus* easdem curas et doctrinas offerunt, teste experientia multiplici hodierna, magistri privati et religiosi, melius quam partium et factionum sequaces auctoritatis publicae functionarii, lucro proprio magis quam ulli alii fini intenti.

PROPOSITIO 3a

Status per se nullum jus docendi habet ; sed omnibus plenam libertatem concedere debet ; aliquando per accidens potest ipse docere.

STAT QUAEST. 1) Post refutatas adversariorum rationes, nostram mentem aperientes dicimus, auctoritati civili ex natura sua nullum esse jus in scholas, neque ita ut monopolio regatur personas docentes tum res docendas, neque ita ut praevio examine personas docentes discernat et approbet, neque ita ut inspectione ac directione doctrinas tradendas et methodos seligat et praescribat, programmata imponat, neque ita ut scholis suis propriis cum aliis scholis concurrat.

2) Concedimus aliquando per accidens fieri posse ut jure scholas suas erigat et dirigat auctoritas civilis ; ita tamen ut illa exceptio sit, non semper duratura, sed quamdiu aliunde media non suppetent privata.

PROB. 1a PARS (*per se*.....) Natura sua non potest auctoritas civilis jura et munia patrum familiarum et organorum socialium sibi usurpare, vel in ea se intrinsecus immiscere ; sed solum debet ea protegere, extrinsecus dirigere ad coordinationem et bonum commune, media positiva offerre quibus utantur ac prospere agant ; — a. pueros docere et educare natura sua non est munus auctoritatis civilis proprium, sed auctoritatis domesticae et proprii organi socialis ; e.

Ad maj. Non cives et familiae sunt propter societatem, sed societas est propter cives et familias instituta.

Ad min. 1 part. (non auctoritatis civilis.) Nequit auctoritatis civilis scholas apte dirigere, sapienter ac moderate res docendas eligendo, variis hominum et familiarum conditionibus concretis accommodando, varios vitae status providendo, verum